

GEORGIVS ABBAS IN SALEM.



Georgius Vuendingæ circa Nordlingam ex Keyferspergorū familia natus est anno 1519. Is cum prima literarum fundamenta iecisset, anno ætatis octauo in monasterium Cisterciensium apud Germanos maximū Salem (quod & Salmen-suiler dicitur) peruenit, atq; pietati & studijs incubuit. Monasterium illud uno miliari ab Vberlinga circa lacum Podmicum , ante quadringentos & quinquaginta annos , à Salma honesto uiro ad lacum habitate inchoatum erat. is alij s finitimiis coniunctis ibidem habitare , atque templum proprijs manibus edificare cœpit. postea sacerdotibus conductis ibidem Deo seruierunt, & tandem ipsi laici existentes omnia sacerdotibus donarunt. Superest adhuc ibi in templo chorus Laicorum à sacerdotum choro separatus . Id cum Gunthramus baro de Adelsreuten cognouisset, ibidem Benedictinorū monasterium anno 1133 fundauit, atq; Frouinum Lutzellensem monachum primum abbatem constituit, qui per 28 annos ibidem præfuit. Superuenit postea Eberhardus præsul Salisburgensis, is eius loci reditus ex suo patrimonio anno 1202 plurimū auxit, atq; post ibidem (ut & Gunthramus) sepultus quiescit. Vnde factū ut monasterium illud inter ditiora Getinianæ recenseatur.